

## AD SODALITATIS HELLENICÆ SOCIOS,

## CARMEN

MELODIÆ APTATUM SCOTICÆ,

CUI TITULUS—*O'er the Muir among the Heather.*

C ELEBREMUS, O! sodales,  
 Noctes has conviviales:  
 Vel legendo, vel bibendo,  
 Non invenietis tales.

Libri Græci hic volvuntur:  
 Fratres legunt et loquuntur:  
 Ridet jocus; adest coquus;  
 Et liquores consumuntur.

Ut perfecta sit doctrina,  
 Magnam opem fert culina:  
 Is qui sapit cœnam capit,  
 Et prudenter sumit vina.

Hæ sunt epulæ divinæ,  
Ala, pectus, crus,—gallinæ:  
Fricta frusta, blanda crusta,  
Ostreæque submarinæ.

Interim invadit sitis,  
Quæ levatur fructu vitis,  
Vel Hispano, vel Germano,  
Dum sit fortis et sit mitis.

At quum dapes sunt finitæ,  
Gutta parva aquæ vitæ  
Dat calorem, dat vigorem,  
Saltem si sit mixta ritè.

Hæ dum voluptates placent,  
Carmina non spreta jacent:  
Sic impleti, sumus læti,  
Et Camænæ raro tacent.

Quum receptum jam sit satis  
Vini, cibi, græcitatis,  
His pro donis, O! quam bonis,  
Gratias agamus Fatis.

Quisque tunc ad suum tectum  
Abeat, et petat lectum ;  
Ut profundo et jucundo  
Corpus somno sit refectum.

Magnum denique clamorem,  
Hujus cœtûs in honorem,  
Excitemus, et laudemus  
Clarum ejus Fundatorem.

NOTE.—*Convivales*, it is believed, would be a better word in the second line than *conviviales*, if it would only sing and sound as well. But the Latinity of the song throughout is not meant to be warranted as rising above that standard which goes by the name of Canine.